

si talis materia præcessisset, sicut fit in aliis generationibus, præcessit enim toto tempore antecedente non in se, sed in quantitate gerente vices substantiæ, et ita recipiente dispositiones, et privationem ad formam generandam, in instanti autem ipso generationis privatio ipsa in materia non ponitur ut existens, sed ut expulsa, et ut terminus a quo solum prioritate naturæ antecedens formam, non existendo in eadem duratione, sed desinendo in subjecto; hæc est enim prioritas termini a quo in illo instanti, non prioritas existendi, sed abjiciendi, et sic non sequitur, quod in eodem instanti in quo duret, et existat privatio cum forma, sed quod abjiciatur, nec enim illa prioritas naturæ, est prioritas causæ potentis existentiam, sed terminum a quo, qui abjicitur.

QUÆSTIO III.

DE PRINCIPIIS IN PARTICULARI, ET PRIMO DE MATERIA PRIMA.

ARTICULUS PRIMUS.

An sit, et quid sit materia prima?

Antequam definitionem materiæ primæ, quam Philosophus tradidit, explicemus, supponimus duo. Primum est, dari materiam primam. Secundum est, esse aliquid in re distinctum a forma. Quantum ad primam, nomine materiæ primæ intelligimus illam entitatem, quæ est capax recipiendi formas substantiales, in se vero nullam habet formam. Eam autem explicat Philosophus in hoc primo libro Physicorum ex analogia, et similitudine materiæ artificialium, sicut enim ex ligno, vel ex ære fit statua, et

lignum illud, vel æs secundum se, nullum esse statuæ habet, sed solum capacitatem ad statuam, licet in alio genere, id est, in ratione entis naturalis habeat aliquid esse, v. g. ligni, vel æris: ita illud quod etiam respectu rerum naturalium materia est, et subjectum, intelligitur nullum habere esse naturale, sed solum capacitatem ad illud, et hoc dicitur ens in potentia: unde dicit Philosophus VII Metaphys. textu VIII, lect. II, apud D. Thomam: « Illud dico materiam, quæ secundum se, neque est quid (id est, substantia in actu) nec quantum, nec aliquid aliud quidquam, quibus ens determinetur. » Et D. Augustinus XII confess. cap. VI: « Mutabilitas, inquit, rerum mutabilium capax ipsa est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid est? Numquid animus? Numquid species animi, vel corporis? Si dici posset nihil aliquid, est et non est, hoc etiam dicerem, et tamen jam utcumque erat, ut species caperet istas visibiles, et invisibiles. » Ita Augustinus. Denique D. Thomas in hoc I Phys.; lect. XIII. « Cum videamus, inquit, hoc, quod est aer quandoque fieri aquam, oportet dicere, quod aliquid existens sub forma aeris, quandoque sit sub forma aquæ, et sic illud quod est aliquid præter formam aquæ, et præter formam aeris se habet ad ipsas substantias materiales, sicut se habet æs ad statuam, et lignum ad lectum, et quodlibet materiale et informe ad formam, et hoc dicimus esse materiam primam. » Sic D. Thomas.

Dari autem istam entitatem, sic potentialem, et informem ex duobus principiis, Aristoteles deduxit. Primo ex ipsa generatione substantiali. Secundo ex eo, quod naturaliter ex nihilo nihil fiat, et hoc secundum ex primo deducitur, quia si ex ni-

hilo aliquid fieret, ita ut tota ipsa rei substantia ex nihilo fieret, hoc ipso non esset generatio, sed creatio, et corruptio esset annihilatio. Unde non requirentur determinatæ dispositiones ad determinatas generationes, sed eodem modo posset fieri lapis, vel æquus, vel quæcumque alia res, quia si ex nihilo fit, ad nihil deserviunt dispositiones, ut determinetur magis ad unum, quam ad aliud. Si autem fit ex aliquo, et id quod fit ex substantia, eo quod generatio substantialis est, necessario supponit aliquid subjectum capax illius substantialis esse, quod de novo fit, et amittens esse, quod antea habebat, quia corrumpitur: ergo de se neutrum illorum habet, et consequenter solum est potentia ad utrumque.

Secundum quod supponimus est, hoc subjectum, seu entitatem substantialem esse distinctam realiter ab ipsa forma substantiali, quæ corrumpitur, et quæ generatur, quod tamen aliqui negaverunt, et ex antiquis apud Scotum in II, dist. XII, q. I, ex quo id referunt Conimbrienses super c. VII hujus primi libri, q. III, ar. III, et ex recentioribus aliqui id suscitaverunt, existimantes non dari duas entitates, quæ sint materia et forma componentes unum tertium, sed materiam et formam esse unum et idem ens, quod in quantum potentiale dicitur materia, et in quantum actuale dicitur forma, et sic agens, quando generat aliquid, convertit totum hoc ens in aliud ens, et hoc in quantum mutabile in aliud, dicitur materia, et potentialitas ad illud, sicut essentia objective considerata est in potentia ad existentiam, et sic Aristoteles considerat transitum materiæ de uno ad aliud, sicut transitum essentia de possibilitate ad existentiam, non sicut transitum subjecti de frigore ad calorem. At hoc modo dicunt intelligendum

esse D. Thomam quando docet implicare, quod materia existat sine forma, non magis quam ens actu sine actu, ut I p., q. LXVI, ar. I. Quod esset intelligibile si materia est entitas distincta a forma, non enim posset reddi existens, et ens in actu per entitatem illam distinctam.

Cæterum hæc sententia omnino rejicienda est, nec in D. Thoma ulum habet fundamentum. Nam D. Thomas perpetuo docet, materiam et formam esse partes componentes totum, materiamque distinguit a formis, nam in q. III de Veritate, art. V ad ultimum dicit: « Materiam proprie non habere essentiam, sed esse partem essentia, » et cap. VII de ente et essentia dicit: « Formam esse partem compositi, et ex ipsa et materia componi totum, » et VII Metaphys. lect. II: « Oportet, inquit, quod materia secundum sui essentiam sit alia ab omnibus formis substantialibus, et earum privationibus, quæ sunt termini generationis, et corruptionis, » et similiter in I Phys. lect. XIII, supra citata aperte dicit, quod illud quod est aliquid præter formam aquæ, et præter formam aeris, dicitur materia prima: aperte ergo sentit, quod materia distinguitur a forma, sicut etiam Philosophus id sentit, dum docet, tria esse principia rerum naturalium, materiam, formam, et privationem. Neque fugit Philosophum hæc eadem sententia, quam impugnamus, quæ ponit ipsum totum quod corrumpitur esse materiam, quatenus est in potentia, ut convertatur in id, quod de novo fit. Proponit enim in VIII Metaphys. lect. IV, apud D. Thomam in fine hanc eandem dubitationem: « Quod cum ex vino fiat acetum, et ex vivo mortuum dubitatur, quare vinum non sit materia acetii, et vivum materia mortui, cum ordinentur ad ea, sicut potentia ad actum? » Respondit autem Philoso-

phus ibi, et D. Thomas: « Quod acetum est corruptio vini, et mortuum corruptio vivi; non ergo acetum fit ex vino, sicut ex materia neque mortuum ex vivo, sed secundum accidens dicitur ex eo fieri, in quantum fit ex materia ejus. » Ubi aperitissime excludit Philosophus istam imaginationem, quod ipsum totum, quod corrumpitur, sit materia.

Et fundamentum hujus clarissime constat in ipsa corruptione hominis. Constat enim quod anima rationalis est vera hominis forma ut definitum est in Concilio Lateranensi sub Leone X, et in Concilio Viennensi sub Clemente V. Constat enim de fide animam hominis post mortem non corrumpi, sed permanere, et consequenter non convertitur in cadaver nam cadaver non est anima; ergo materia quæ erat in homine, sive corpus illud, a quo separatur anima, vel relinquitur in cadavere, vel non; si relinquitur, ergo forma hominis distinguitur realiter a sua materia, eum dentur in re illæ duæ partes separatae; si non remanet in cadavere, vel illud corpus annihilatur, vel remanet sicut antea eum eandem formam; si annihilatur, tollitur tota ratio corruptionis naturalis, quæ non fit per annihilationem, neque prædicti Auctores salvant, quod convertatur res, quæ corrumpitur, in rem quæ generatur, quia anima non convertitur, sed permanet in se, corpus autem annihilatur, et tunc corpus illud, quod manet in cadavere, non esset resuscitandum in die iudicii, sed illud quod annihilatum est, quia illud quod solum pertinet ad hominem, non istud. Si autem manet sicut antea conjunctum animæ; ergo anima non est separata ab illo, et sic homo non esset mortuus. Quod si dicas, corpus hominis separata anima converti in totam entitatem cadaveris; ergo jam

conceditur, quod in homine dabitur aliquid præter animam ab illa distinctum, siquidem modo ab illa separatur, et convertitur in cadaver, et sic quando homo erat unus, componebatur ex anima, et ex illo corpore, quod transit in cadaver, tanquam ex duobus distinctis, et sic habetur intentum. Et cum illud corpus seti materia, quæ est in homine, non creetur de novo, quando homo generatur, sed præsupponitur in semine, et in materia, ex qua fit homo (alioquin crearetur totus homo, et non generaretur, si tam anima, quam corpus de novo crearetur) ergo in semine aliqua entitas dabatur subjicienda animæ ut formæ, et separanda a forma seminis, et hæc dicitur materia. Si autem in homine, et in semine datur materia distincta a forma, idem erit in aliis entibus naturalibus, siquidem univoce conveniunt cum homine. Omitto quod ista conversio, quam ponunt isti Auctores, totius entitatis, quæ corrumpitur in totam, quæ generatur, est idem quod conversio transubstantialis, sicut in Eucharistia tota substantia panis convertitur in corpus Christi, sicque ista conversio non esset ita admirabilis, cum in qualibet generatione similis ab istis Auctoribus ponatur.

Nec doctrina S. Thomæ in qua oppositi Auctores fundantur, quidquam illos juvat, cum in doctrina D. Thomæ constet existentiam distinguere a re quæ existit, ut late ostendimus infra quæst. vii, et ita non repugnat alicui entitati, v. g. materiae advenire existentiam per aliquid distinctum, scilicet per formam, quod cum pluribus infra probatur simus, sufficit nunc audire ipsum sanctum Doctorem in principio opusculi xxxi, ubi inquit: « Quod differt materia a subjecto, quia subjectum est, quod non habet esse ex eo, quod aliquid ei advenit, sed quod est per se et habet

esse completum, ut homo non habet esse per albedinem, sed materia dicitur, quod habet esse ex eo quod sibi advenit, quia de se esse incompletum, imo nullum esse habet, » ut dicit comment. in ii de Anima: « Unde simpliciter loquendo forma dat esse materiae, accidens autem non dat esse subjecto. » Ita D. Thomas.

Ex his deducitur explicatio definitionis materiae primæ. Definatur autem dupliciter a Philosopho, uno modo positive in hoc primo libro, tex. lxxxii: Materia est primum subjectum, ex quo aliquid fit, et non secundum accidens. Dicitur *subjectum* ad excludendum formam, quæ non est subjectum, sed adveniens subjecto. Dicitur *primum* ad excludendum subjectum accidentarium, et artificialium formarum, quod non est subjectum primum, sed est ipsa substantia composita, et sustentativa accidentium, quæ fit ex alio priori subjecto, et sic non est materia prima, sed secunda. Dicitur *ex quo aliquid fit*, ad excludendas alias causas, nam efficiens est a quo aliquid fit, finis propter quem fit, exemplar ad instar cuius fit, forma per quam habet esse: sola materia est, ex qua aliquid fit. Dicitur *non secundum accidens*, ad excludendam privationem, seu terminum a quo, quia ex illo non fit aliquid, ut ex constituyente, sicut ex materia, sed tanquam ex aliquo quod relinquitur, et ita per accidens se habet ad rem in facto esse.

Secundo modo definitur materia prima negative vii Metaphys. text. viii: « Quod materia per seipsam neque est quid, neque quantum, nec aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur. Cujus sensus est, quod materia non habet ex se aliquid determinativum essentiae, seu nature, sive in genere substantiæ, sive in genere quantitatis, sive

alterius generis, id est, caret omni forma determinante esse, et ut ibi explicat D. Thomas lect. ii: « Materia, inquit, non potest per se existere sine forma per quam est ens actu, cum de se potentia tantum, » ut amplius explicabimus articulo tertio.

ARTICULUS II.

Utrum materia prima ex se ita sit pura potentia, quod careat omni actu formali, et entitativo?

Formalem actum vocamus formam constituentem cum materia aliquid tertium; actum vero entitativum, existentiam, per quam aliquid formaliter constituitur extra causas, et extra nihil. Et quidam apud antiquos, qui non agnoverunt materiam esse ens in potentia, sed quidquid erat ens, dicebant esse ens actu, et quidquid non erat ens actu, quod erat nihil, non separabatur existentia a forma, sed pro eodem reputabant esse ens actu, et esse ens formatum, seu determinatam naturam. Nunc autem qui eum Aristotele sentiunt materiam esse ens in potentia, et aliunde non possunt percipere quod illud quod non est ens actu, sit aliquid reale, sed solum nihil; intelligunt materiam non dici ens in potentia quasi careat existentia, et sit in potentia ad ipsam, sed solum quia caret forma informante, quæ vocatur actus formalis, non quia caret existentia, quæ est actus entitativus. Et hæc sententia sumit suum principium ex eo, quod existimat existentiam non distinguere a quacunque entitate reali, hoc ipso quod realis est, vel si distinguitur, non distinguere realiter, sed ad summum formaliter inseparabiliter, tamen illam comitari, et immediate officere. Et hoc ideo, quia remota existentia, omnis realitas removetur, et remanet nihil, et solum in potentia objectiva, seu in statu pos-

sibilitatis, quod est purum nihil sicut res omnes erant antequam producerentur a Deo, et sic solum distinguitur essentia ab existentia, sicut entitas in potentia objectiva, et in statu possibilitatis a seipsa, in statu realitatis extra causas.

De hac distinctione, vel indistinctione essentiae ab existentia agemus infra, quaestione septima. Nunc autem supponimus fuisse semper communem sententiam usque ad haec nostra tempora, distinctionem aliquam a parte rei dari inter essentiam realem et existentiam, licet enim Durandus tenuerit, non distinguere, nisi tantum ratione in 1, dist. VIII, q. II, quem sequuntur P. Suarez in Metaph. disp. XXXI, sect. IV et seq. Vazquez III p. disp. LXXII, c. ult. et plures alii ex recentioribus, tamen oppositum manifeste ostendimus ibi, esse sententiam D. Thomae quem communiter sequuntur Thomistae, et alii extra ejus scholam.

Et quidem si teneatur existentiam identificari, et non distinguere a quacunque entitate reali, hoc ipso quod realis est, quaestio ista facile solvitur, dicendo quod materia cum sit realis entitas, etiam est actus entitativus, solum autem est in potentia reali, et materiali ad actus formales, seu ad formas substantiales, ad existentiam enim non datur materialis, et intrinseca potentia susceptiva illius, sed solum objectiva, quatenus continetur in potentia agentis, et transit de non esse ad esse. Caeterum in sententia opposita, quam nunc supponimus de distinctione essentiae ab existentia, procedit difficultas praesens, an materia, sicut est in potentia ad formam, ita sit in potentia susceptiva existentiae, non solum quia recipit existentiam formae, ad quam est in potentia, sicut ad ipsam formam, sed etiam, quia non habet aliam existentiam, quam qua-

sibi communicatur per formam, ita quod ex se solum sit entitas capax formae, et capax existentiae per formam.

Sit unica conclusio: Materia secundum se est in potentia ad actum formale, et ad actum entitativum, ita quod non habet immediatum ordinem ad existentiam, sed mediante forma, cujus est prius susceptiva, quam existentiae. De hac conclusione plenius agetur articulo sequenti, ubi disputabimus, an de potentia absoluta possit esse materia sine forma. Nunc solum loquimur secundum ordinem connaturalem materiae, an de se solum participet existentiam mediante forma, quidquid sit, an de potentia absoluta possit inverti iste ordo, et immediate existentiam participare sine forma. Sic ergo sententia D. Thomae et plurimum Auctorum, qui illum sequuntur, Cajetanus de ente et essent. cap. v, q. VIII; Ferrariensis in contra Gent. cap. IV, et I Phys. q. I; Socin. VII Metaph. quaest. XVII, et lib. VIII, q. I; Capreolus in II, dist. XIII, quaest. I; Collegium Carmelitanorum I Phys. disp. III, quaest. V. Et licet plura fundamenta afferantur ad illam stabilendam, possunt tamen reduci ad duo. Primum est commune formae, et materiae, scilicet quia in quocumque composito datur unicum esse existentiae, quo existit tam forma, quam materia, eo quod datur unicum fieri totius compositi, et resultat unica entitas: existentia autem sequitur ipsum fieri rei, cum sit terminus ejus, et ipsam unitatem essentiae, seu entitatis, cui convenit. Sed de hoc principio agemus infra quaest. VII, ostendendo quod existentia est propria compositi *ut quod*, et solum convenit formae, ut principio quo determinandi existentiam, et materiae, ut principio quo suscipiendi illam.

Alterum ergo principium, nunc

expendendum specialiter pertinet ad materiam, in qua considerat D. Thomas, quod non datur immediatus ordo materiae ad existentiam, sed immediate respicit, et recipit formam, et mediante illa existentiam, et ita sicut est in pura potentia ad omnem formam, ita ad omnem existentiam. Et in primis videri potest D. Thomas, quaest. IV de Potentia, art. I, in corpore, ubi inquit: « Quod materia prima non potest in rerum natura existere, quin aliqua forma formetur, quidquid enim in rerum natura invenitur, actu existit, quod quidem non habet materia nisi per formam, quae est actus ejus, unde non habet sine forma in rerum natura inveniri. » Item, in opusculo XV, capite III, sic inquit: « In substantia composita ex materia et forma est duplex ordo, unus quidem ipsius materiae ad formam, alius autem ipsius rei jam compositae ad esse participatum, non enim est esse rei, neque forma ejus, neque materia ipsius, sed aliquid adveniens rei per formam. Sic igitur in rebus ex materia et forma compositis, materia quidem secundum se considerata, secundum modum suae essentiae habet esse in potentia, et hoc ipsum est ei ex aliqua participatione primi entis, caret vero secundum se forma, per quam participat esse in actu secundum proprium modum. » Ergo secundum D. Thomam immediatus ordo materiae est ad formam, et mediante ea ad existentiam, et sic de se tam est in pura potentia ad formas, sicut ad existentiam. Alter locus est opusculi XXXI, in principio, ubi inquit: « Quod materia non se habet, ut subjectum in quo, sed ex quo; et est differentia inter ista subjecta, quia subjectum est habens esse, et in illo sustentans formas, sicut substantia sustentat accidentia, et ita non habet esse ex eo, quod sibi advenit: at ve-

ro materia dicitur subjectum, ex quo aliquid componitur, et habet esse ex eo, quod sibi advenit, quia habet esse incompletum, imo nullum esse, » ut dicit comment. in II de Anima: « Unde simpliciter loquendo formae dat esse materiae. » Ita D. Thomas: qui locus valde notandus est, quia in eo aperte docet, quomodo potest aliquid esse subjectum, non praesupponens esse ad componendum cum forma, et recipiendum illam, sed potius ad hoc recipere, ut habeat esse simpliciter per talem formam. Nec significat D. Thomas solam dependentiam materiae a forma, ut existat, ut aliqui dicunt, sic enim etiam forma dependere potest a materia, imo substantia ab accidente, ut a dispositione, sine qua non est, sed intelligit D. Thomas ordinem participandi esse, qui est actus ultimus, non convenire materiae nisi per formam. Denique videri potest S. Thomas I p. q. VII, art. II ad 3, et q. LXVI, art. I, et q. CXV, art. I ad 2, et II contra Gent. c. XLIII, ubi materiam puram potentiam vocat sine omni existentia.

Et quidem ex hoc fundari potest ratio pro ista sententia, quia Philosophus in hoc libro, praesertim text. LXIX, et LXX, investigavit naturam materiae primae ad similitudinem materiae artificialium, dicens, quod materia se habet ad formas naturales, sicut lignum, vel aes ad formas artificiales, et nos addere possumus, quod se habet sicut intellectus noster ad species, et objecta, ad quae in principio est in potentia. Videmus autem quod lignum vel aes in genere artificiali nullam prorsus habent existentiam artificialem ante formam, et similiter intellectus noster nullum esse intentionale ante species: ergo si materia prima ita se habet in genere naturali, sicut materia secunda, v. g. lignum, vel

æs in genere artificiali, manifestum est quod ita caret materia prima omni esse naturali, sicut materia secunda omni esse artificiali.

Nec dici potest, quod materia caret quidem esse naturali proveniente a forma, sed non caret omni esse, habet enim actum metaphysicum, scilicet actum entitativum, quo existit extra causas, saltem incomplete, et imperfecte, sicut postulat ex suo genere quod incompletum, et imperfectum est, perficitur autem per formam.

Sed contra est, quia iste actus entitativus debet esse in aliquo genere, et certum est, quod debet esse in genere substantiali, non accidentali vel artificiali, cum ipsa materia substantia sit, saltem partialis, existentia autem secundum hos Auctores non differt re ab essentia, et in isto genere substantiæ certum est, quod non habeat existentiam generis spiritualis, cum ipsa longissime distet a genere spirituali, ergo si quam habet, est in genere naturali, ad quod ipsa pertinet, ut pars entis naturalis. Et tunc urget ratio Philosophi. Materia prima in genere naturali est ens ita in potentia, sicut materia secunda est in potentia in genere artificiali, sed materia secunda, v. g. signum, nullum habet esse artificiale, nec parziale, nec totale ante formam artificialem, sed solum capacitatem ad illud, ergo materia prima nullum esse naturale habet ante formam, et consequenter nullum, absolute in actu, quia in re nullum esse datur, etiam parziale, quod non sit naturale, vel artificiale, sed solum est capax existendi mediate per formam.

Et amplius hoc declaratur ex doctrina Aristotelis, qui affirmat apud antiquos Philosophos existimatum esse, quod si materia esset ens in potentia, esset nihil in actu, et incidetur in inconueniens, quod ipsi ita

refugiebant, quod ex nihilo res generarentur, pro eodem existimantes, nihil et ens non in actu, imo hoc erat præcipuum, quod contra Aristotelis sententiam opponebatur, quia si materia est ens in potentia, ergo est nihil seu non ens, quia solum quod est actu, est ens. Sic enim sensisse veteres constat, tum ex hoc primo libro, tex. XXXIV, et tex. LXX, et ibi D. Thomas, lect. IX, et XIV, tum etiam ex I de Gen. tex. XII, et ibi D. Thomas, lect. VI, ubi dicit: « Quod si materia est nihil actu, sed potentia, sequitur id quod maxime timebant priores Philosophi, quod aliquid generatur ex nullo præexistente, quod enim est ens actu, est nihil. » Ecce quomodo utebantur antiqui eodem fundamento, quo nunc recentiores ad probandum, quod materia non est pura potentia entitative, seu ens in potentia, quia esset nihil, quidquid enim non existit actu, non est reale, quia non est extra causas. Cum ergo faciebant illam consequentiam, quod si materia non est ens actu, sed in potentia, est non ens seu nihil, plane procedebant contra ipsum esse entitativum materiæ, et non solum contra formale, quia procedebant contra ipsam materiam secundum se, et nudam omni forma; sic enim dicitur esse in potentia omnia, ergo si de hac materia sic in potentia inferebant, quod esset nihil, si erat in potentia ens, plane intelligebant carere esse entitativo, quod est existentia; sola enim carentia hujus esse facit nihil, et præsertim, quia si loquimur de materia secundum se, et sine forma, jam non inferebatur carere esse formali, quia supponebatur, sed carere entitativo quod est esse nihil.

Sic autem proponens Aristoteles difficultatem istam, non respondet materiam esse actu partialiter, et secundum actum entitativum, per

quod quidem videbatur directe solvi illa consequentia, quod si materia est ens in potentia, ergo est nihil; dicerent enim recentiores quod materia est in potentia ad omnes formas, et ad omne esse formale, non autem est nihil, quia habet esse entitativum. Sed Aristoteles respondet, tum in I Physic. tex. LXVI, et LXXVIII, tum in I de Gen. tex. XVII, et ibi S. Thomas lect. VII, in fine, quod quia nunquam est corruptio sine generatione, ideo nunquam materia manet ita in potentia, quod non sit ens actu, quia semper est subjecta alicui formæ, et ideo licet generatio fiat per se ex ente in potentia, tamen per accidens fit ex ente in actu, eo quod materia ex qua generatur est sub alia forma, et privatione sui, ratione cujus formæ materia dicitur in actu, quamvis sola ejus potentia per se ad generationem concurrat, non actualitas, quam sub illa forma corrupenda habebat. Si ergo Aristoteles ut solvat objectionem quæ infert materiam esse nihil, et carere actu entitativo, quod est existentia, recurrit ad successionem formarum, sub quibus semper est materia, et propter hoc debere corruptionem unius esse generationem alterius, ut non sequatur materiam esse nihil, et non ens seu non existens, plane sentiebat materiam non habere esse entitativum ex se, sed per formam, alias si id sentiret, cur non diceret argumento, materia est in potentia, ergo est nihil, nego consequentiam, quia secundum se est existens, et habet esse entitativum, licet sit in potentia ad formale.

Et ulterius hoc declaratur, quia si ponitur materia habere actum entitativum, seu existentiam ex se, funditus evertitur ratio probandi contra antiquos formam substantialem, quia antiqui non agnoscebant, formam distinctam a materia, sed

totam quidditatem esse materiam, nec generari aliquid de novo substantialiter sed alterari tantum, eo quod non poterat fieri ens simpliciter nisi ex non ente, ut constat ex I Physic. tex. LXXI, et LXXVIII, et ibi D. Thomas lect. XIV, ubi ponit rationem antiquorum, ex qua movebantur ad negandam generationem substantialem, quia ex non ente fit ens, sic enim ex nihilo fieret, nec ex ente, quia jam esset, et sic non fieret esse simpliciter, sed ut tale. Et idem habet Aristoteles I de generat. tex. XI, et D. Thomas ibi lect. VI, solvit autem hoc Aristoteles quia ens simpliciter, id est, substantia, fit per se ex ente in potentia, quod est materia, quæ per accidens est in actu, quatenus erat sub alia forma; quæ ipsa generatione corrumpitur. Si autem ponatur materia ex se esse ens actu per existentiam, licet in potentia ad formas, enervatur doctrina Aristotelis et sumit robur ratio antiquorum, quia si fit generatio per se ex ente existente, dicerent antiqui, quod forma adveniens tali rei existenti non est substantialis, quia non dat primum, et integrum esse. Ex quo ergo principio probat contra veteres, quod forma est substantialis, et dat esse simpliciter, et consequenter datur generatio substantialis, etiamsi forma supponat aliquid esse substantiale in materia. Hoc enim nullo principio naturali probari poterat contra illos, nisi petendo principium. Unde bene dixit S. Thomas, Opusc. XV, cap. VII: « Quod ubi ponitur materia ens actu nihil differt dicere materiam, et substantiam rei, sic enim antiqui naturales qui probant materiam primam ens actu, dicebant materiam esse omnium rerum substantiam. »

Alia ratio poterat addi quæ sæpe utitur D. Thomas nempe I part. q. LXVI, art. I, et quodlib. III, art. I, et

q. iv de potentia, art. 1, quia si materia existeret actu per se, et non per formam, sequeretur habere actum sine actu, eo quod illa existentia materiae est actus participatus in materia, omnis autem actus participatus est forma vel habetur per formam. Sed de hac ratione sequenti articulo latius dicendum est. Denique, superflue ponuntur tot existentiae, quot entitates, sicut enim sufficit una anima ad omnes partes, cur non una existentia?

Solvuntur Argumenta.

Argumenta omnia, quae hic fieri possunt, vel tangunt generaliter distinctionem existentiae ab essentia, de quo in quaest. vi redibit sermo, aut probant de potentia absoluta posse materiam esse sine forma, de quo seq. art. Breviter in praesenti ea solum tangemus, quae ad puram potentiam in materia pertinent.

Primo ergo arguitur, quia vel illa entitas materiae ante formam et secundum se considerata est aliquid reale extra statum possibilitatis, et extra causam creantem, vel non: si non est extra causam creantem, et extra statum possibilitatis, ergo non est entitas realis, nec realitas susceptiva formae, sed tantum est entitas possibilis, et in potentia obiectiva, et sic non loquimur de materia in praesenti, sed de materia reali, et quae invenitur in rerum natura, nam quae est in statu possibilitatis, non suscipit formam neque componit cum illa; si autem est extra statum possibilitatis, et extra causam creantem, antequam adveniat forma, sive existentia, quae sit entitas distincta, ergo per se ipsam est actu extra causas sine forma, quod est existere. Quod si ita est pura potentia, quod non est

existens, neque ens, incidemus in opinionem Platonis, qui materiam ita fecit puram potentiam, quod non distinguit illam a privatione, et non ente, contra quem disputat Aristoteles i Physic. c. ix.

Respondetur, hoc argumentum tangere totum fundamentum sententiae oppositae, quod procedit eadem aequivocatione, qua antiqui Philosophi, qui non agnoscebant medium inter ens actu, et nihil, quorum etiam ratione convictus Plato concessit quidem materiam primam, sed illam dixit esse non ens, seu privationem: antiqui vero Philosophi per aliud extremum dixerunt, materiam esse aliquid, sed non distinctum a forma, sique dicebant esse ens actu. Inter has autem extremas sententias procedunt duae mediae opiniones, altera Aristotelis, D. Augustini et D. Thomae, qui ad antiquos dicebant bene posse dari ens, quod non sit in actu, nec tamen sit nihil, sed ens in potentia, et sic datur medium inter ens actu se ipso et nihil, scilicet ens per aliud, et recipiendo aliud, per quod habet existentiam, et hoc Augustinus vocat prope nihil, eo quod nihil contradictorie opponitur enti, et ideo nihil nec est ens actu, neque capax actus; capacitas ergo ad actum seu ad esse, licet non sit ipse actus, quia tamen ex capax illius, jam recedit a nihilo, est tamen prope nihil, quia non est perfecte, et in actu se solo extra nihil. Alia vero opinio recentiorum ad fundamentum antiquorum dicit, quod inter ens in actu, et nihil, non datur medium, quod sit ens pure in potentia, sed datur ens, quod partialiter est in actu, et hoc est materia, quae est pars quaedam compositi, quae partialiter, et incomplete existit in actu. Cujus tamen partialis existentiae in materia Aristoteles non meminit, neque ex suis principiis contra antiquos potuit de-

ducere, imo comment. in ii de anima, ut refert D. Thomas, opusc. xxxi, dixit, quod materia nullum esse habet.

Ad argumentum ergo dicimus, quod materia ante formam, et essentia ante existentiam intelliguntur extra statum possibilitatis, et extra causam creantem, distinguo; dependenter ab actu dante illis esse, formaliter, concedo; independentem ab omni actu, et forma, nego. Et antecedenter ad istum actum vel formam, id quod relinquitur in materia, vel essentia, est entitas procedens a Deo, et creata a Deo ut recipiens et tendens ad existentiam suscipiendam, seu ut existens per aliud, non ut existens se ipso, nam non solum id quod est actus, sed etiam id quod est potentia ad actum creatur a Deo, sed ut subjecta actui, et non sine illo: unde dicit D. Thomas i p. q. xliv, art. ii ad 3: « Quod materia non est creata sine forma, licet enim omne creatum sit in actu, non tamen est actus purus, unde oportet, quod etiam illud quod se habet ex parte potentiae sit creatum. » Conditio ergo potentiam ab actu, et sic sumptam potentiam non solum dicit esse creabilem, vel possibilem, sed creatam, seu creatam, quia creatur, ut conjuncta et subjecta actui, non ut in se actus. Quare omne quod est extra statum possibilitatis debet esse ens in actu, sed non omnia eodem modo, aliquid enim est in actu, ut suscipiens actum, scilicet ipsa materia, aliquid ut dans actum, scilicet forma, aliquid ut constitutum ex actu, scilicet compositum, et illud quod suscipit actum tanquam potentia, etiam ut potentia, extra causas est, et a Deo est, sed non ut habens ex se actum, sed ut recipiens actum.

Et quando urgetur, quod si materia est ita pura potentia, quod non est actu existens erit nihil, et non

ens, respondetur quod neque est nihil, neque entitas de se, et per id entitatem intrinsicam existens actu, sed capacitas actus, et conjuncta ipsi actui, et ita est pura potentia in actu, non actualitate antecedenti, sed actualitate concomitante et consequente, quatenus nunquam est sine ipsa existentia, et forma cuius est capax, et ad quam est in potentia, sed tanquam sibi conjuncta, et unita non ut sibi identificata, sed a se indistincta, et in hoc posuit Aristoteles contra Platonem differentiam inter privationem, et materiam, quod privatio, neque in potentia, neque in actu, neque per participationem, neque per identificationem est capax existentiae, materia autem est capax per participationem et conjunctionem ad formam non per identificationem. Et D. Thomas: opusc. xv, c. viii, vocat, « Materiam remota forma non ens, susceptivum tamen formae, quae est participativa ultimi actus, qui est existentia. »

Secundo arguitur: Non datur medium inter esse extra causas, et intra illas, cum contradictoriae opponantur: ergo in illo priori, in quo intelligitur materia ante formam, et essentia ante existentiam, vel intelligitur intra causas vel extra; si intra causas est in statu possibili, et in potentia obiectiva, et sic non est capax componendi cum forma; si autem est extra causas, ergo hoc ipso est existens, et sic ante existentiam esset existens quod implicat. Et confirmatur, quia si materia suscipit formam, et existentiam ejus, antequam in se habeat propriam existentiam, oportet quod in aliquo priori intelligatur causare materialiter talem formam suscipiendo illam: ergo pro illo priori intelligitur talis causalitas realis materialis exire ab ipsa materia: ergo necessario est existens, quia causalitas

realis non potest exire, nisi a causa reali realiter existente.

Respondetur, quod in illo priori, quo materia intelligitur recipere tam formam, quam existentiam, intelligitur materia extra causas in suo genere, scilicet per modum potentiae susceptivæ actus; non autem intelligitur ut perfecte, et complete existens in actu, quia enim actio agentis ponit extra nihil, tam potentiam, quam actum, ut ex D. Thoma vidimus et ordine quodam tangit illa, quia potentiam tangit, ut subjectam actui, et actum ut informantem potentiam, in illo priori, seu præcissione, qua intelligitur potentia subiecti, et illum recipere, nondum tamen actum informantem illam, intelligitur materia, seu existentia extra causas inadæquata, et incompleto modo, scilicet sub formalitate potentiae suscipientis existentiam, non sub formalitate existentiae actuantis, in re tamen semper invenitur extra causas perfecte, et complete, et ita in re non datur medium inter esse vel non esse intra causas, sed secundum formalitates, et præcisiones, quæ sunt prioritates naturæ, bene potest dari medium inter esse complete extra causas secundum omnem considerationem, et esse complete intra illas, et hoc medium est esse in fieri, et tendentia, seu potentia susceptiva formæ, et existentiae, et nondum formæ informantis illam, quæ prioritates, et præcisiones existendi secundum unam rationem et non secundum aliam passim occurrunt in productionibus rerum, et dependentiis a causis.

Ad confirmationem respondetur, quod ad causam materialem, ex qua componitur ipsum totum, sufficit existentia concomitanter; et in eodem instanti temporis, ut dicatur realiter componere, et causare, non autem requiritur, quod existentia antecedit pro illa prioritare natu-

ræ, qua intelligitur causare materialiter: ad causam vero materialem, quæ per modum subiecti recipit formam accidentalem sustentando, requiritur quod antecederet habeat existentiam, etiam pro prioritate naturæ, qua causat. Ratio diversitatis sumitur ex D. Thoma, opusculo xxxi in principio, quia causa materialis sustentans recipit formam dando illi esse simpliciter, a forma autem solum recipit esse accidentale, quod est esse secundum quid: unde cum illa receptio non sit pure potentialis, sed sustentativa in esse, supponit in causa materiali esse. At vero causa materialis pure receptiva, et constitutiva naturæ non recipit dando esse formæ, sed accipiendo a forma esse, et sic non supponit esse in se, sed solum capacitatem ad illud, quod mediante forma recipit. Nec requiritur, quod causa materialis pro omni prioritate suæ causalitatis intelligatur ens in actu, sed sufficit ut sit causa realis, quod in re sit pro omni instanti durationis, non pro omni instanti causalitatis, et dependentiæ. Et hoc ideo est, quia huiusmodi causalitas materialis est ita imperfecta, quod non solum ponit formam extra causas, sed ad hoc causat formam, ut ponatur materia ipsa extra causas, siquidem causare formam recipiendo, est recipere actualitatem ad esse, et quando actualitas dat esse simpliciter, etiam potentia recipit esse simpliciter, et ideo causalitas ita imperfecta non supponit esse perfectum pro prioritate causandi, sed capacitatem ad esse, nec enim causat mediante esse, sicut causa efficiens, vel subiectum sustentans, sed mediante capacitatem, et potentialitate ad esse.

Si instes: Nam materia recipiendo formam dat esse formæ, siquidem forma non habet esse in se, sed in

materia, excepta anima rationali, ergo mediante esse debet causare materia, respondetur, formam substantialem non dependere a materia, quia ab illa recipiat esse, aut sustentetur in esse, sicut formæ accidentales, quæ non possunt dare primum esse, sed esse secundum quid, et ideo supponunt subiectum constitutum, et subsistens in esse; ideoque ab esse subiecti dependent, et ab illo sustentantur. At vero forma substantialis dat primum et substantiale esse, et ideo non recipit aliquid esse a materia, sed quia illud esse, ut est a forma (præter rationalem) non est subsistens, et per se independens, accipit a materia, ut a subiecto ultimo principium unde terminetur, et reddatur subsistens in ipso toto.

Tertio arguitur. In materia secundum se et seorsim a forma est entitas in tempore producta, et non aliquid æternum, et sic significatur per ly *est* non absolutum a tempore, ut quando dicitur *materia est*, est etiam entitas subiecta productioni, et causalitati agentis creantis, ergo habet omnes effectus formales existentie ante ipsam formam. Est etiam participatio quædam Dei in actu, quia habet ideam in Deo, ut docet S. Thomas 1 part. quæst. xv, artic. iii. Est etiam bona, ut docet iii contra Gent. cap. xx, alias incidere in hæresim Manichæorum, quod materia est mala; ergo habet in se seorsim a forma aliquid esse.

Respondetur, omnes illas conditiones existentie, quæ tribuuntur materiæ consideratæ sine forma, vel essentia, quæ antecederet se habent ad existentiam convenire illi, non per identificationem cum existentia, sed per receptionem, et subiectionem ad ipsam: in illa enim antecedentia ad formam, vel ad existentiam, entitas essentia, vel materiæ, intelligitur ut suscipiens

existentiam, vel formam, quæ est antecedentia causæ receptivæ, licet nondum intelligatur ipsa forma, vel existentia, ut actuans, in qua præcissione illa entitas, neque consideratur ut pure possibilis, et intra causas, neque ut perfecte et complete extra illas (licet in re sit extra) sed in statu recipiendi ipsum esse, et in potentia non objectiva respectu agentis, sed recipientis respectu existentie. Entitas autem ut recipiens ipsam existentiam, et ut suscipiens se illi, habet omnes conditiones existentie per modum potentie receptivæ, quas habet existentia per modum formæ actuantis: est enim aliquid temporale, et subiectum agentis, etc. non per modum actus existentie, sed per modum potentie recipientis illam, eo quod agens utrumque producit et potentiam et actum, ut diximus ex D. Thoma.

Ex quo ulterius dicimus, quod materia secundum se est quedam participatio Dei, quatenus participat capacitatem ad essendum, per quam recedit a nihilo, quod non est capax existendi, et hoc immediate a Deo participat, sed actualem existentiam huius capacitatis participat a Deo mediate, id est, mediante forma constituyente compositum, ut ex opuse. xv supra retulimus. Et ita dicit D. Thomas, 1 p. q. xv, art. iii, ad 3: « Quod materia prima habet ideam in Deo, sed non aliam ab idea compositi, cum materia secundum se neque esse habeat, neque cognoscibilis sit, » id est, non separatam ab idea compositi, sed in illa inclusam, nam eo modo habet ideam, quo in tempore productionem. Est autem terminus productionis inadæquatus, quia non creatur, sed concreatur, ut dicit D. Thomas, 1 part. quæst. vii, art. ii ad 3, ergo et cœmpletur in idea.

Quod vero materia dicitur esse bona, respondetur quod non dicitur

bona formaliter, et in actu, sed secundum capacitatem, et ordinationem ad bonum. Unde dicit D. Thomas 1 part. qu. v, artic. ad 3 : « Quod materia participat aliquid de bono, scilicet ipsum ordinem, vel aptitudinem ad bonum, et ideo non convenit sibi, quod sit appetibile, sed quod appetat : » et sic intelligitur in III contra Gentiles citato, quod materia est bona ratione ordinis ad bonum, non ratione bonitatis actualis in se. Et ita materia non est privatio, ut dicebat Plato, quia privatio non ordinatur ad bonum, sed opponitur illi, et similiter non est mala, quia malum opponitur bono, materia autem non opponitur formæ, et hac ratione dicitur utilis formæ et composito, quia ad rationem utilis sufficit bonum bonitatis ordinis ad alterum, non bonitatis actualitatis in se.

ARTICULUS III.

Utrum materia possit existere sine omni forma, saltem de potentia absoluta?

Licet materia participet existentiam per formam, vel in suo esse partiali (si daretur) dependeret ab illa : adhuc restat difficultas, an solum pendeat naturaliter, an essentialiter, ita ut nec per Dei potentiam suppleri possit, sicut accidentia videmus naturaliter dependere a subjecto, et per Dei potentiam sine illo esse posse? Sententia ergo affirmativa communissima est inter recentiores hujus temporis, et habet patronum Scotum in II, dist. XII, q. II, et totam ejus scholam.

Nihilominus sit unica conclusio : In sententia D. Thomæ implicat materiam existere denudatam ab omni forma, atque ita est essentialis ordo inter receptionem formæ, et existentiam, quod per formam reddi-

tur capax habendi existentiam, qui ordo essentialis non invenitur inter accidens, et subjectum, licet ratione imperfectionis suæ accidens dependeat inhaerendo a subjecto, non materia. Itaque materia se habet ad formam, et ad existentiam ordine quodam essentiali, sicut intellectus non est capax visionis, nisi mediante specie, et lumine, et sicut corpus non est capax gradus sensitivi, nisi mediante vegetativo. Hæc conclusio sumitur ex D. Thomæ, I p. q. LXVI, art. I, ubi, inquit : « Si materia informis præcessit duratione, hæc jam erat in actu, hoc enim duratio importat ; creationis autem terminus est ens actu, ipsum autem, quod est actus est forma, dicere igitur materiam præcedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem. » Ita D. Thomas. Et idem probat quodlib. III, art. I his verbis : « Quod aliquid simul sit, et non sit, a Deo fieri non potest, neque aliquid contradictionem involvens, et hujusmodi est materiam, esse in actu sine forma, omne enim quod est actu, vel est ipse actus, vel est potentia participans actum : esse autem actum repugnat rationi materiæ, quæ secundum propriam rationem est ens in potentia ; relinquatur ergo quod non potest esse in actu, nisi in quantum participat actum, actus autem participatus a materia, nihil aliud est quam forma. Unde idem est dictum materiam esse in actu, et materiam habere formam ; dicere ergo quod materia sit in actu sine forma, est dicere contradictoria esse simul. » Ita D. Thomas, et videri etiam potest in qu. IV de potentia, art. I et III contra Gentiles, cap. IV, ubi inquit : « Quod materia non tendit ad impossibile, est autem impossibile materiam tantum sub privatione esse. » D. Thomæ loquuntur communiter omnes

ejus discipuli ad illum locum I p. Ibivideri potest Cajetanus et c. v de ente et ess. q. VIII ; M. Bannez illam q. Ferrariensis I Physic. q. XI et cit. loco contra Capr. Socin. et alii, apud Curs. Carmelitanum hic disp. III, q. V, pro eadem Conimbicenses, lib. I Phys. c. I, q. VI, art. I citant Mag. in II, dist. XII, cap. V Hugonem de S. Victore, Durandum, Ægidium, et alios.

Ut explicetur implicatio, quam D. Thomas in locis affirmat, advertendum est, Auctores oppositos non dubitare quod existentia seu esse proveniens a forma, non possit inveniri in materia sine ipsa forma, cujus est tale esse, sicut, v. g. esse album, et existentia ubi manifeste apparet, quod non potest convenire materiæ sine albedine, et generaliter quodcumque esse, seu existentia ut specificata ab aliqua forma, nullo modo potest convenire materiæ, nisi mediante forma, a qua habet specificationem, et determinationem et ita si velimus dicere, quod materia non participat istas existentias sic specificatas, nisi servato ordine essentiali, ut mediantibus suis formis participentur, verissimum est, neque Auctores oppositi negabunt ; sed punctus difficultatis est, an possit dari in materia aliqua existentia non proveniens a forma, sed ipsi materiæ conveniens, in quantum est entitas distincta a forma, et propterea vocatur actus entitativus, et sic existere possit materia separata ab omni forma, et ab omni existentia formæ. In hoc ergo videtur deficere implicatio assignata a D. Thomæ, quia concludit, materiam non posse esse existentem sine aliquo actu, et inde inferit, non posse esse sine forma pro eodem reputans actum participatum in materia, et formam, cum tamen in hoc faciat difficultatem opposita sententia, quia distinguit actum existentiam a forma et

hunc actum existentiam dicit convenire materiæ antecederet ad formam, vel quia non distinguitur entitas realis materiæ ab existentia sua, vel quia talis entitas materiæ immediate capax est illius.

Igitur implicatio D. Thomæ fundatur in hoc, quod existentia ex essentiali conceptu suo est actus distinctus ab essentia creata, ut probabitur quæst. VII. Hic autem actus non constituit rem intrinsecæ, et essentialiter, sed essentiam constitutam extra causam constituit, non in sua quidditate, alias esset essentialis, et necessario conveniens rei quam constituit. Ergo ex natura sua non est actus primus, id est, constituens quidditatem, sed secundus, seu adveniens constitutæ. Cum ergo materia prima de se nullum actum primum habeat, quia ipsa non est forma, seu actus primus, caret vero omni forma ei unibili, ut supponimus, ergo non est capax alicujus actus secundi, qui est existentia, sicut non est capax actus secundi, qui est operatio nisi mediante radice operandi, quæ est potentia. Itaque sicut bene valet, si aliquid est capax operationis tanquam actus secundi distincti a se, ergo in se est actus primus potens operari, quia nihil est aliud actus primus, quam id quod est capax immediate actus secundi ; ita bene valet in existentia, quod si aliquid est immediate capax existentiam ; etiam partialis tanquam actus secundi in essendo distinctæ ab essentia : ergo in se partialiter est actus primus, vel habet actum primum, idem autem est actus primus, quod forma. Ergo si materia est sine omni forma, et existit, habet formam sine forma, quia habet actum primum, vel ipsa est actus primus, hoc ipso quod est capax actus secundi, quod est existentia.

Solum potest responderi, vel quod existentia non est actus secundus,